



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Nuclevs Casuum Conscientiæ Sive Brevis Notitia Eorum
quæ scitu vel necessaria, vel valde utilia sunt
Confessarijs in primo ingressu ad audiendas Confessiones**

Agostini, Giuseppe

Coloniae Agripp., 1644

De 3. Præcepto Decal.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41767

DE III. PRÆCEPTO Decalogi.

Sanctificandi dies Festos.

1. **A**liqui dies festi dicuntur esse sub præcepto: ut omnes dies Domini, & alij plures: in quibus, ex hoc præcepto, tenentur Christiani ad duo ex necessitate: nempe ad Sacrum audiendum, & ad cessandum ab operibus servilibus.

2. Circa primum nihil est addendum ad id, quod diximus in primo præcepto Ecclesiæ.

3. Circa secundum abstinentium est ab operibus servilibus à media nocte ad medium noctem sequentem. Dicuntur autem opera servilia communiter opera artium mechanicarum. Item abstinentium est ab operibus prohibitis ab Ecclesia, etiam si non sint servilia, ut infra.

4. Studere, scribere, aut transcribere, docere, designare, & delineare, venari feras, pescare, ludere, iter agere, cantare, & sonare, publicæ nündinæ,

K 2 etiam

etiam si omnia hæc fiant ex pretio ali-
quo, non sunt prohibita.

5. Prohibentur tamen strepitus iudi-
ciales, & curiales, etiam si non sint operi
seruilia: nec potest in diebus festis ferri
sententia Iudicis, nec testes examinari;
& similia, nisi adsit Priuilegium pro ru-
sticis.

6. Pingere communiter censuram
se prohibitum: emere necessaria ad quo-
tidianum victum, sicuti, & vendere pri-
uatum, non est prohibitum; ornare tem-
pla, vel verrere, vel alia facere ad diuinum
cultum ; quæ non possunt fieri saltem
commodè antecedenti die; non est pro-
hibitum.

7. Transferre merces, & onera de-
mo loco in aliū extra necessitatem; no-
licet, inchoando iter in die festo: si tamē
festum incidat post iter inchoatum; pos-
sunt muliones prosequi suum iter. San-
chez loc. cit. dub. 7. Coquere cibos, parare
mensas, & alia necessaria facere ad quo-
tidianum victum; licet. Quæ tamen pri-
die festi fieri possunt, & solent, ut co-
quere panes ; non licet facere in die
festo, nisi necessitas aliud postuler, aut
parui-

paruitas materiæ. Lege Sanchez locis ci-
tatis.

8. Potest esse veniale cōtra hoc Præ-
ceptum, si materia sit leuis, & absit con-
temptus. Censetur autem leuis materia
non excedere duas horas toto die fēsto
laborando, &c.

9. Excusat ab obseruatione huius
præcepti necessitas, siue corporalis, siue
spiritualis, siue propria, siue aliena, cui
aliter subueniri non potest iudicio Pru-
dentis: aut etiam licentia Episcopi: aut
rationabilis, seu recepta consuetudo in
aliqua re.

10. Quamvis peccare mortaliter in
diebus festis, & præfertim solemniori-
bus, aut in triduo Passionis, potest esse
circumstantia aggrauans; non tamen est
mutans speciem, nec necessario confi-
tenda, nisi fieret ex contemptu: nam
peccatum non est propriè opus seruile,
sed metaphorice. Sanchez tom. 2. lib. 5.
consil. cap. 2. dub. 3. Addi etiam potest tē-
pus diei festi non esse sacrum per aliquā
consecrationem receptam in ipso, sicuti
est sacra Ecclesia, vel persona Sacerdo-
tis, &c. quorum violatio est Sacrilegiū:

K 3

Sed

sed solum per aliquam denominacionem extrinsecam , aut coexistentiam res sacras , quas Christianus tenetur in die festo exercere : & ita non est eadem ratio.

11. Circa hoc præceptum potest dispensare Episcopus respectu huius , vel illius sibi subditi : & Superiores Religionum respectu suorum subditorum ad quod non est necessaria evidens causa , sed sufficit probabilis , aut etiam dubia.

12. Præterea ex consilio , & consentia debent Christiani diebus festi maximè vacare rebus spiritualibus , & Verbo Dei. De sanctificatione dierum festorum agunt Suar. de Relig. tom. 1. lib. 1. Azor. tom. 2. lib. 1. Filliac. tom. 1. tract. 11. Tolet. lib. 4. cap. 24.

DE IV. PRÆCEPTO Decalogi.

Honorandi Parentes.

Illi tenentur sub mortali subuenientia parentibus in graui , aut extrema necessitate corporali , aut spirituali .